

mus meus adeo incaluit, ut nihil aliud propemodum  
dies, noctesq; meditetur, quam ut ego, qui non solum  
animo, sed etiam ipso ortu, ac natura sub tua domina-  
tione sum, tue gloria cupidissimus, & quam gratissi-  
mus erga te esse cognoscar? *Quæ cum ita sint, cum te  
Auspice COSMÆ Serenissime, has Stellas superiori-  
b<sup>o</sup> Astronomis omnib<sup>o</sup> incognitas explorauerim, opti-  
mo iure eas Augustissimo Prosapia tue nomine insig-  
nire decreui. Quod si illas primus indagavi, quis me  
iure reprehendat, si iisdem quoq; nomen imposuero, ac  
MEDICÆA SYDERA appellaro? sperans fore,  
ut tantum dignitatis ex hac appellatione iis Syderibus  
accedat, quantum alia ceteris Heroibus attulerunt.  
Nam ut taceam de Serenissimis tuis Maioribus, quo-  
rum gloriam sempiternam omnium historiarum mo-  
numenta testantur, sola tua virtus, Maxime Heros,  
illis Astris impertiri potest nominis immortalitatem.  
Cui enim dubium esse potest, quin quam tui expecta-  
tionem felicissimis Imperii Auspiciis concitasti, quã-  
vis summam, eam non solum sustineas, ac tuearis, ve-  
rum etiam longo intervallo superaturus sis? ut cum a-  
lios tui similes viceris, tecum nihilominus ipse certes,  
ac te ipso, ac magnitudine tua indies maior evadas.*

*Suscipe itaq; clementissime Princeps hanc tibi ab  
Astris reservatam gentilitiam gloriam, & illis diui-  
nis bonis, qua non tam a Stellis, quam a Stellarum O-  
pifice, ac generatore Deo tibi deferuntur, quam din-  
tissime frueri.*

*Datum Patavii 4. Idus Martii, M. DC. X.*

*Ce'situdinis tue*

*Addictissimus Servus  
Galileus Galileus.*

*ASTRO-*